

Disputatio theological,

De tribus testibus coelestibus.

Ex 1 Joh. V. 7.

Respondente Denedicto Picteto Genevensi.

I. Cum hoc sit fides Catholica, teste Athanasio, ut *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur*, et augustum hoc Mysterium rationi inaccessum, et multorum haereticorum veterum et recentiorum blasphemias impetum, praecipuum Religionis Christianae constituat fundamentum; In id potissimum mens pia debet incumbere ut de veritate ejus in verbo propoista magis ac magis persuadeatur; et si τὸ πᾶς non potest assequi, quod Creaturis negatum est, τὸ ὅτι tamen firmiter et inconcusse teneat.

II. Cum vero ex omnibus, quae hoc docent mysterium Scripturae Oraculis, nullum luculentius sit et illustrius celebri Joannis loco, ubi tres Testes Coelestes testantes inducit, quem propterea orthodoxi semper tanquam palmarium haereticis opposuerunt, et in cujus detorsione etiam adversarii omnem suam industriam et ingenii acumen collocarunt, ut ejus vim quacunq̄ tandem ratione eluderent: Non ingrati et inutilem veritatis studiosis nos faturos rem sumus arbitrate, si paulo accuratius hac Academica velitatione in ejus sensum inquiramus, et veritatem sacrosancti istius mysterii adversus impias impurorum haereticorum strophas vidicemus.

III. Verba Joannis sunt, 1ae Ep. Cap. v. ver, τρεις γὰρ εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, ὁ Πατήρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ Πνεῦμα ἅγιον, καὶ οἱ τρεῖς ἓν εἰσι.
“Tres enim sunt qui testantur in Coelo, Pater, Sermo, et Spiritus S. et hi tres unum sunt.” Scopus Apostoli est confirmare fidem Evangelii *de Divinitate Christi, et officio ejus Mediatorio*. Cujus a principio Capitis salutare fructus et effectus notaverat, quales sunt 1. Spiritualis regeneration, et Dei ac proximi dilectio, ver. 1, “Omnis qui credit quod Jesus est Christus, ex Deo genitus est, et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui genitus est ab eo. 2. Mandatorum divinatorum observatio, ver. 2, 3. 3. Victoria de mundo, ver. 4, 5, “Quoniam quicquid natum est ex Deo vincit mundum, et haec est Victoria quae vicit mundum, nempe fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Dei Filium?” Quia vero plurimum intererat ejus certitudinem in animis nostris confirmare, ostendit fidem istam fulcrum habere immotum in multilici testimonio, quod Deus illi perhiberi voluit, tum in Coelo, tum in Terra, quod invicte persuadere nos debet, Christum Dominum esse verum et aeternum Dei Filium a Patre genitum, Redemptorem nostrum. Hoc autem Testimonium ita tractat, ut primo in genere de eo agat, ver. 6, cordibus nostris obsignare, quod *Spiritus*, id. Doctrina Evangelii de Christo ejusque beneficiis, quae nomine *Spiritus* venit, 2 Cor. iii. 6, sit verissima; ver. 7, postea de terrestribus, ver. 8, atque

ita fidem nostrum tutissime in Christo solo quiescere doceat, cui non duo tantum ut in Lege requirebatur ad rei alicui fidem faciendam, sed longe plures omni exceptione majors, Tres puta in coelo, et Tres in terra testimonium reddunt.

IV. Quia vero Adversarii, ut facilius se ab Argumento, quod hinc nectimus ad probationem Trinitatis, expcdiant, solent objicere, locum esse supposititium et adulterinum, qui a Nostris sit insertus, nequaquam vero a Joanne perscriptus; Unde Socinus Common. in h. l. expresse innuit verba ista "adulterina esse et ab hominibus, qui suum dogma de Trino et Uno Deo quacunque ratione defendere ac propagare voluerunt, in hunc locum infarta:" Cui succinunt Eniedinus in explicatione locorum, Smalzius contra Schopperum de Trini., Volkel. et alii. Canonica Oraculi istius autoritas est primo asserenda; Eo vel magis quod nonnulli etiam ex Pontificiis ut Cajetanus, Erasmus, et alii de loco isto ut dubio et suspecto loquantur, idque quia in variis Graecis Codicibus non invenitur, et in quamplurimis Latinis desideratur; Nec habetur in Textu Syriaco, Arabico, AETHiopico, illiusque Patres varii, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Nazianzenus, quum maximo illis adversus Arianos usui esse poterat, non meminerunt. Verum multa sunt, quae loci istius ἀθεντία evincunt.

V. Primo, *fides probatissimorum et antiquissimorum Exemplarium*, quae hic pro nobis aperte militant. Hieronymus, qui ex testimonio Augustini fuit Vir doctissimus, et trium linguarum peritissimus, qui et omnia fere ante illum Scripta Ecclesiastica legit, in prologo in Epist. Cano. Ad Eustochium, refert, Codices omnes Graecos suo tempore versum hunc habuisse, et *hunc de Unitate Trinitatis locum ab infidelibus Latinis Interpretibus omissum queritur*. Erasmus fatetur extare in Codice Britannica vetustissimo, qui tantae fuit apud ipsum autoritatis, ut versiculum istum in prioribus Editionibus omissum, in posterioribus accuratissima cura, ut ipse scribit, recognitis, restitueret. Laudatissimae Editiones, Complutensis, Regia Antuerpiensis, Ariae Montani, Rob. Stephani, Eliae Hutteri, Valtoni, quae probatissimis et vetustissimis Codicibus usae sunt, retinent. Unde si in quibusdam desideratur, hoc fraudi et dolo malo Arianorum adscribendum est, qui textum hunc eraserunt, quia punctim transfigebat eorum haeresim; ut Hieronymus testatur. Secundo, *Textus isius connexio*, nam nisi admittatur hie versus, nullus erit sensus verborum sequentium; Et *tres sunt qui testificantur in terra*, quae manifeste supponunt, Tres alios Testes praecessisse, qui non erant ex Terra, quod confirmatur ex ver. 9, ubi divini et humani testimonii fit mentio, "Si testimonium hominum accipimus, Testimonium Dei majus est;" Annon vero haec collation supponit Dei testimonium aequae ac hominum. Tertio *Patres* versum hunc retinent et laudant; Cyprianus lib. de Unit. Eccles. dicit, "Dominus, Ego et Pater unum sumus, et iterum de Patre et Filio et Spiritu S. scriptum est, Et hi tres unum sunt." Athana. Disputatione contra Arium in Synodo Nicaena privatim habita, et lib. i. ad Theophil., Idacius adversus Varimandum, Fulgentius in rcsponsione ad objecta Arianorum &c. Quarto, *fidei analogia* et locorum

parallorum cullatio, quae confirmant quod hic dicitur, tum de testimonio, tum de unitate trium istorum Testium, Joh. v. 36, 37, et viii. 17, 18. et x. 36, 37, et xv. 26, 27, et xvi. 13, 14, 15. Quinto, cum hic versus vel ab Arianis sublatus fuerit, vel ab Orthodoxis additus, prius illud multo probabilius est, sive enim *casui* hoc est adscribendum, proclivius fuit in describendo aliquid omittere, quam integram pericopen textui inserere, sive *dolo*, credibile est, hujus reos fuisse Arinnos potius quam Orthodoxos, tum quia sapius hac in parte patefacta est fraus haereticorum, et Arianorum inprimis, qui alia Scripturae loca mutilarunt, ut notat Ambrosius de fide v. 7, et de Spiritu Sancto iii. 11; tum quia e re ipsorum magis erat loeum hunc eradere, quam Orthodoxis ilium addere, quia si genuinus fuit, ex eo illorum haeresis prorsus evertetur; si vero suppositivus, non inde periclitabatur doctrina Orthodoxorum circa Trinitatem, quae ex aliis Scripturae locis luculenter probatur. Unde omnino verisimile est hoc ab Arianis factum; ut Socrates observat histo. Eccles. lib. vii. c. 32, et Tripar. xii. veteres Interpretes significasse, quosdam fuisse, qui Epistolam hanc primam Joh. depravarunt, quo in Christo hominem a Deo separarent. Nec hoc difficile fuit Arianis, dum Imperatores erant Ariani, et Episcopi, pulsus Orthodoxis, totum pene orbem occupabant.

VI. Hic vero nec *Cudicum varietas* opponi debet, quia longe plures et probatioris retinent, quam omittunt: Nec *Versionum* Syriacae, Arabicae, Aethiopicre *authoritas*, quia fontibus aequiparari non debent, et satis constat eas esse recentiores. Nec *praetermissa Veterum citatio*, quia hoc potest tantum innuere, in Codicibus Graecis et Latinis quibus usi sunt, locum defuisse; sed nulla veritatis specie potest colligi esse ὑποβολιμαῖον, cum vel Librarium negligentia omitti, vel Arianorum militia eradi potuerit. Nec *Contextus ipsius series*, qui Testium quidem terrestrium, aquae, sanguinis, et Spiritus, de quibus loquutus fuerat, ver. 6, descriptionem postulabat, non vero coelestium qui huc non pertinebant; Nam ex copula quae ver. 8, additur, *σχέσιον* ad Testes coelestics jam probavimus. Et cum ageretur de confirmatione primarii fundamenti Religionis Christianae, imo totius Evangelii, potuit nec dehinc omitti summum illud et irrefragabile Testimonium, quod singulae Trinitatis Personae ad fidei nostrae fulcimentum protulerunt.

VII. Asserta vero loci istius Autoritate Canonica, Verborum sensus jam venit enucleandus, ubi tria expendenda sunt, *Testium istorum Natura*, *Operatio*, et *Unitas*. *Natura* quinam sint ostendet, *Pater* scilicet, *Sermo* et *Spiritus S.* *Operatio* quid faciant docebit, nimirum quod *testentur* in coelo. Et *Unitas* consensum et ὁμοουσίαν probabit, quod *sint unum*. Quoad prius, ut in Testimonio non tantum *quid* dicatur, sed etiam vel maxime *quis* dicat attendi solet et debet, Ita Joannes designat eos nomine *Patris*, *Sermonis*, et *Spiritus Sancti*, quibus Tres Personas Sacrosanctae Trinitatis intelligendas esse omnes Orthodoxi unanimi consensus fatentur, quae subsistendi quidem modis distinctae, sed essentiae ratione unus sint et aeternus verus Deus. *Pater*, qui primam personam notat, non sumitur οὐσιοδῶς relate ad

Creaturas, quo sensu ad totam Trinitatem pertinet, et saepe usurpatur in Scriptura, quando Deus dicitur Pater omnium Creaturarem tum rationalium tum irrationalium, Job. xxxviii. 28, Mal. ii. 10. Sed ὑποστατικῶς pro prima Trinitatis Persona, quae ex se Filium suum ab aeterno ineffabili ratione genuit sibi coaeternum et coessentialem; De qua, quia nulla lis nobis movetur ab Adversariis, plura non addimus, ut de secunda Persona, quae hic per Λόγος describitur, et de qua controvertitur inter nos et ipsos, dicamus.

Quare Filius dicitur Λόγος.

VIII. Vox Λόγος peculiari ratione a Joanne videtur selecta ad designandum Filium Dei; unde saepius eam usurpat, potissimum in ipso Evangelii initio, c. i. 1, 2, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, *In principia erat Sermo*, &c. Et ver. 14. Et *Sermo caro factus est*. Sic c. 1, ver. 1, Epist. i, "Quod erat a principio, quod audivimus, quod vidimus περὶ τοῦ Λόγου τῆς ζωῆς de Verbo vitae." Et Apoc. xix. 13, dicit nomen Filii Dei, qui ipsi apparuerat, esse ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, *Sermo Dei*. Nec apud Joannem solum vox ista occurrit, sed et apud alios quamvis rarius, eo enim omnino respicit Lucas, cap. i. 2, "quemadmodum tradiderunt nobis, qui a principio spectatores et ministri facti sunt τοῦ Λόγου." Paulus non obscure eo alludere videtur Act. xx. 32, quum commendat Pastores Ephesinos *Deo et Sermoni gratiae ipsius*, quod de Evangelio minus commode diceretur; at de Dei Filio commodissime; Et Heb. iv. 12, ubi "vivum esse Sermonem Dei docet, et penetrantiolem quovis glandio ancipiti," &c., quamvis enim hoc vulgo nec male de Verbo Dei Extremo intelligi possit; tamen quae adduntur ver. 13, "nullam Creaturam esse, quae conspicua non sit coram eo," ostendunt in Christo demum perfecte impleri, ad cujus descriptionem postea ver. seq. descendit. Nec in Novo Testamento demurn haec appellatio locum habuit; sed jam sub V. T. obtinuit, a quo Apostoli potuerunt illam haurire, hinc, Psal. xxxiii. 6, *Verbo Jehovae Coeli dicuntur facti*, non tantum externo et προφορικῶς mandati, sed Verbo essentiali et personali, quo omnia condita esse Jonnnes testatur; et Hag. ii. 5, "Ego sum vobiscum, inquit Jehova, Verbum, quod pepigi vobiscum, et Spiritus meus stat in medio vestri, ne timeatis;" ubi tres Personae notantur; Prima, quae nomine Jehovae designator, Secunda, quae per Verbum, per quod Deus foedus cum populo pepigit, et alibi Angelus foederis vocatur, Et Tertia per Spiritum, qui in ipsis habitabat. Atque hinc factum, ut Chaldaeus Paraphrastes multis in locis, quae de Messia loquuntur, pro Jehovae nomine מִימַר id. λόγον substituerit, ut observat Galatinus, lib iii. c. 4, et 5. Ut valde verisimile sit Joannem eo respexisse, et voluissc Filium Dei designare ab ipso initio Evangelii nomine Λόγου respondent usitate illi voci Chaldaicae מִימַר, qua Deus designabatur, ut jam eo ipso demonstraret contra Ebionem et Cerinthum verum esse et aeternum cum Patre Deum.

IX. Si jam de ratione nominis istius quaeratur, variae sunt Doctorum sententiae, quas persequi nostri non est instituti; convenientissima

videatur ea, quae petitur ex usu vocis λόγου; λόγος enim proprie *sermo* est seu oratio, quae ore profertur, et vocari solet sermo προφορικὸς, et per metaphoram ad animum refertur, et modo *cogitationem* notat, quae est tacita quasi mentis oratio, et dicitur λόγος ἐνδιάθετος; modo ipsam *rationem* seu cogitandi facultatem, quo sensu Aristoteles distinguit inter τὸν ἴσω τὸν ἔσω λόγον. Ut vero in Deo Verbum duplex possumus distinguere, Aliud οὐσιώδη, seu *essentiale*, aliud ἐπουσιώδη, seu *accidentale*, quod concipitur ad modum qualitatis in Deo: De utroque significatio gemina τοῦ λόγου potest commode usurpari. Nam si de verbo accidentali loquimur, aliud est *internum mentis*, quod nihil aliud est quam ipsius *Decretum* quod saepe per λόγον exprimitur; aliud *externum oris*, quod est ipsius decreti seu voluntatis Divinae declaratio in Verbo proposita. Sic *Verbum essenziale*, Filius Dei, duplici de causa potest dici Λόγος, 1. ratione *Personae* et modi subsistendi, quia est Sapientia Patris aeterna; 2. ratione *Officii*, quia est Internuncius Patris voluntatem ejus nobis declarans, quod utrumque Joannes innuit. Prius, quando dicit Λόγον fuisse apud Deum, et fuisse Deum, ver. 1. Posterius, quum addit eum Deum nobis revelasse, ver. 18. Dico *Ratione Personae*, Λόγος internus et mentalis est, qui genitus est ab aeterno a Patre, et illi est similimus, ut ratio a mente emanat, et illam refert, quod Nazianz. Orat. 2, de Filio, quæ est 4. de Theol. observat: “Videtur λόγος mihi dici, quia se ita habet ad Patrem λόγος, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis expertem, sed etiam propter conjunctionem et vim enuntiandi, quia est imago et character Patris qui genuit, qui totum in se ipso Patrem exhibet, ut sermo mentis cogitationem totam repræsentat,” &c. Atque ita Filius κατὰ τὸ ἔτω dicitur λόγος, 1. *ratione principii*, propter Filii a Patre generationem, ut sermo a mente gignitur; 2. *ratione modi*, propter æternam sine passione et alteratione a Patre emanationem, ut sermo a mente natura emanante; 3. *ratione repræsentationis*, quia perfectissime ex hibet nobis Patrem, ut sermo mentem; 4. *ratione conjunctionis*, quia ut mens non est sine verbo; Ita nec Pater sine Filio; Quamvis fatendum sit hæc longissime subsidere infra tanti mysterii Majestatem.

X. Secundo dicitur Λόγος κατὰ τὸ ἔσω, *ratione Officii et proprietatis personalis* in operando. Quia ut Pater operatur per modum consilii et decreti interni, Spiritus sanctus per modum Virtutis exequentis: Ita Filius per modum sapientiæ et verbi declarantis, tum in ordine naturæ per providentiam generalem, tum præcipue in ordine gratiæ ratione officii Mediatorii, in quo quemadmodum sermo mentem et cogitationem internam repræsentat; Ita Christus est Interpres voluntatis Patris, qui nobis Patrem declarat, Joh. i. 18, et per quem Pater nos alloquitur, Heb. i. 1. Atque ea de causa non ita proprie Λόγος redderetur per Rationem seu cogitationem simpliciter; Vel per Orationem tantum, quia in istis vocibus una tantum σχέσις exprimitur, sed longe commodius *per Verbum* seu *per sermonem*, (Nam verbum et sermonem hic non differre censemus, quiequid Bellarm. et alii sentiant)

quia uterque respectus includitur, nam *verbum internum et mentale* refertur ad Personam, *Verbum vero exeternum et orale* ad Officium.

XI. Quamvis vero quæ istæ σχέσις in Λόγου nomenclatione concurrant, fatendum tamen secundariam tantum et minus præcipuam esse eam, quæ petitur a *Munere Christi*, primariam vero desumi ab ipsa Λόγου personalitate et generatione. Quod observandum contra Socinum ejusque asseclas impios, qui volunt Λόγον dici tantum ratione *muneris Prophetici*, quia Christus homo is fuit, per “quem primum Deus perfectissimam voluntatem suam nobis declaravit,” ut habet Volkelius, lib. iii. cap. 3, et lib. v. cap. 10. Nam si Christus ideo tantum diceretur Λόγος, quia fuit voluntatis divinæ apud homines Interpres, posset idem nomen etiam Mosi, et aliis prophetis suo modo tribui, quorum opera Deus usus est ad voluntatem suam hominibus revelandam, quod tamen nusquam fieri videmus: Imo nomen hoc velut proprium et incommunicabile cæteris semper ipsi tribuitur. Deinde cum juxta Socinum munere hoc prophetico Christus non coeperit defungi nisi post nativitatem suam, imo et post baptismum; nomen hoc illi tantum tribuendum esset ab eo tempore; cum tamen Joannes jam ab ipso mundi principio Λόγον fuisse declaret, Joh. i. 1, “In principio erat Sermo.” Nam quod hæreticus hoc ad principium Evangelii, et novam creationem referre vult, pluribus rationibus gravissimis refelli potest: 1. Quia vox *principii* absolute posita in Scriptura sine ulla limitatione, quoties de tempore agitur, initium temporis seu mundi notat, nisi sit aliquid quod indicet eam κατὰ τὴν intelligendam esse, quod hic non occurrit. 2. Creatio illa hic intelligitur, per quam omnia sine exceptione facta sunt, et ipse mundus, qui Christum non cognovit, ver. 3, et 10, quod de prima tantum, non de secunda creatione dici potest. 3. Manifestum est Joannem hic alludere ad historiam creationis a Mose relatam, Gen. i. Itaque Sermo de quo loquitur, non alius est, quam ille ipse per quem Deus dicitur omnia condidisse; Alias si alium aliquem sermonem designare voluisset, Cur Sermonis voce uti voluit, et nihil addidit ad tollendam æquivocationem, quæ in errorem manifestum potuit inducere lectorem, ut crederet Hominem Jesum, qui dicitur Sermo, jam fuisse in principio mundi, et omnia condidisse? 4. Quoties Scriptura de nova creatione agit, toties aliquam restrictionem adhibet, ex qua facile colligitur, ut 2 Cor. v. 17, “Nova Creatura dicitur,” et Eph. ii. 10, “Creati dicimur in Christo;” At hic nihil tale. 5. Si Joanni propositum fuisset agere de Christo Homine, debuisset statim ab initio referre ejus nativitatem, de qua agit tantum, ver. 14, quum ait “Sermonem hunc Carnem factum esse:” Sed clarum est scopum Joannis fuisse describere Personam Christi, partim ab eo quod per incarnationem factus est; Unde quod ad prius usurpat verbum substantivum ἦν, *Erat*, quod existentiam præcedentem notat: At quoad posterius utitur verbo ἐγένετο. Quare vero Joannes quum de Sermonem loquitur, verbum ἦν octies usurpavit, ἐγένετο nunquam; At quum de incarnatione loquitur, non dicit ἦν, sed ἐγένετο? Nimirum quia Caro est res facta, Sermo non item; Sermo est Deus, Lux, Vita, &c., natura sua et semper: At Caro factus est tantum in plenitudine temporum. Ex quibus ne

plura jam addamus, quæ nos ab instituto longius abducerent, patet Christum Sermonem dici, non ratione muneris tantum prophetici, quod vellet Socinus, sed etiam et quidem præcipue ratione personæ et generationis æternæ.

3. Testis Spiritus

XII. Tertius Testis est *Spiritus Sanctus*, Tertia nimirum Sacrosanctæ Trinitatis Persona, Cui momen *Spiritus* tribuitur non ούσιοδῶς et absolute, quomodo Deus dicitur Spiritus, Joh. iv. quia est essentia spiritualis et incorporea; sed ὑποστατικῶς et relate ad Patrem et Filium, ratione modi subsistendi, quia a Patre et Filio per spirationem procedit; qui peculiari ratione, partem expressa, "Spiritus Dei," Gen. i. 1, 2, et "Spiritus Sanctus Dei," Psal. li. 11, Eph. iv. 30, partim suppressa, *Spiritus*, Joh. iii. 5, 6, et *Spiritus Sanctus* dieitur, Matth. i. 18, *Sanctus* non modo in se formaliter sanctissimus, sed et efficienter in nobis, quia omnis Sanctitatis est author, cui singulariter et per appropriationem opus *Sanctificationis* tribuitur in Oeconomia salutis, ut Patri Electio, et Filio Redemptio vindicatur. Fateor aliquando Spiritum pro donis ejus sumi; sed quia hic in eodem ordine cum Patre et Verbo locatur, non accidentaliter et qualitative, sed *personaliter* debet intelligi.

XIII. Ut vero Tres istæ Personæ triplicem obtinent in negotio salutis operationis modum; Ita peculiari ratione Triplex Testimonium illis assignatur, τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῶ, *Tres sunt qui testantur in Coelo, Pater, Sermo, et Spiritus Sanctus*. Deus qui se nunquam ἁμαρτυρον reliquit in natura, Act. xiv. 17, multo minus in gratia ἁμαρτυρος esse voluit. Et licet Verbum ejus per se ἀυτόκιστον nulla egeat in se confirmatione, ut tamen infirmitati nostræ et fragilitati se accommodaret, illi voluit fidem indubitam facere Testimonio multiplici; ut si ex Lege in ore duorum vel trium Testium omne verbum confirmatur; De veritate Evangelii, cui tot Testes divini omni exceptione majores fidem faciunt, nullus dubitandi locus superesse possit aut debeat. Dicuntur *testari in Coelo*, tum ut innuatur, eos non terrenos, sed coelestes esse, tum ut indicetur coelitus hoc testimonium ab ipsis perhiberi. Testimonium autem illud coeleste potest spectari, vel conjunctim, vel seorsim. Aliquando Pater, Sermo, et Spiritus S. simul testantur; Ut in Christi Baptismo, ubi Pater de coelo loquitur, Filius e Jordane ascendit baptizatus, et Spiritus S. de coelo descendit, et super Filium quiescit, Pater auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus Sanctus cognoscitur in columba, quod testimonium tanti fecit Augustinus, ut negantes Trinitatem, ad Christi baptismum soleret ablegare, *Abi Ariane, ad Jordanem, et videbis Trinitatem*. Ita in Transfiguratione Tres isti Testes Christo testimonium perhibent, *Pater* voce coelitus edita, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite*, quam vocem coelitus emissam fuisse a magnifica gloria testatur Petrus, cap. i. 2^{de} ver. 17, Filius per transfigurationem, in qua divinam Majestatem exhibuit, cujus

ἀπόστολοι fuerunt Apostoli, *ibid.* ver. 16. Et *Spiritus Sanctus* loquens in Mose et Elia de ejus morte. Eo etiam pertinet baptisma fidelium a Christo institutum, in quo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus in quorum nomine baptizamur, eandem veritatem confirmant; Ideo enim Sacramentum hoc in Nomine S. Trinitatis administratur, ut mysteria Evangelica, et gratia salutaris in Christo nobis obsignentur.

XIV. Veritas autem Triplicis istius Testimonii pendet ex Triplicis operationis ad Redemptionem nostram necessitate, quæ tribus S. S. Trinitatis Personis competere distincte debuit. Nam ut salus primo debuit destinari, Secundo destinata acquiri, Tertio acquisita applicari: Ita *Destinatio ejus*, ut primus actus Redemptionis, *Patri*, qui prima est Persona, tribuitur; *Acquisitio*, qui secundus fuit, pertinuit ad *Christum* Mediatorem, qui secunda; et *Applicatio*, qui postremus est, ad tertiam Personam, *Spiritum* scilicet sanctificantem. Pater *de nobis* statuendo, Filius *pro nobis* satisfaciendo, Et Spiritus *in nobis* operando. Hinc triplici illa operatione testantur tres illi Testes, Pater *missione Filii* in Mundum pro nobis, Filius *incarnatione* sua et passione moriendo pro nobis, et Spiritus Sanctus *vocatione efficaci et regeneratione* operando in nobis. Pater mittendo Filium testatur se illum dedisse in Redemptorem nostrum, qui peccata nostra deleret et nos sibi reconciliaret. Filius carnem nostram assumendo, testatur se esse Vadem et Caput nostrum, qui factus est nobis similis, ut esset *ἡμεῖς* noster, et pacem per sanguinem faceret. Et Spiritus Sanctus gratiam Patris et meritum Filii nobis applicando, testatur de utriusque veritate et certitudine, ut dubitare non possimus, quin salus a tribus istis divinis Personis nobis dispensata, consummatissima sit et absoluta omnibus numeris. Hic porro trium istorum divinorum Testium concursus eo pertinet, ut sibi invicem respondeant, tum in testando, tum in operando, nec latior sit peripheria operationis unius præ alio in salutis negotio; sed idem objectum sibi proponant, et eundem scopum respiciant, ut nemini destinetur a Patre salus, cui non acquiratur a Filio, neminique acquiratur a Filio, cui non applicetur a Spiritu S. et vicissim quoscunque sanctificat Spiritus, ii et a Christo sint redempti, et a Patre electi.

Quid et Quomodo Pater testetur.

XV. Verum ut distincte de triplici isto testimonio dicamus, primo videndum *quid* testentur, Secundo *quomodo*? Et ad testimonii substantiam quod attinet, Joannes satis aperte eam designavit in versibus præcedentibus, 5 et 6, et clarius adhuc describit in sequentibus, ver. 10 et 11, quum illud refert, partim ad mysterium *divinitatis* Christi, ut credamus illum esse Filium Dei verum, et æternum cum Patre Deum, ver. 5, "Quis vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei?" partim ad mysterium *Redemptionis*, ut persuasum habeamus illum esse verum Messiam prædictum in V. T. qui debuit servare populum suum a peccatis suis; Utrumque enim ab hæreticis, quos hic oppugnat Joannes, negabatur. Ideo dicit, ver. 6, *Hunc esse qui*

venit per aquam et sanguinem, nim. ad plenam purgationem peccatorum faciendam, *per sanguinem* ad reatus ablationem, *per aquam* ad maculae ablutionem, per meritum sanguinis ad justificationem, et per efficaciam Spiritus ad sanctificationem. Nec alio respicit quod addit, ver. 11, "Hoc esse testimonium Dei, quod Deus dederit nobis vitam, et quod hæc vita sit in Filio ejus." Nimirum ut doceat Dei charitatem erga nos in eo patefactam esse, quod nobis, electis scil. et fidelibus, (nec enim aliis vitam largitur,) vitam dare voluerit, et non alibi quam in Christo vitam istam locaverit, ut sic reipsa agnoscat unicus et perfectus Ecclesiae Redemptor, extra quem nulla vel sperari, vel haberi potest salus. Hæc est summa Evangelii, quæ nobis credenda proponitur, et cui, ad plene firmandam fidem nostram, ne ulla dubitandi causa supersit, tam irrefragabile testimonium perhiberi voluit et in coelo et in terra. Quomodo autem testimonium istud Christo a testibus istis coelestibus sit redditum, si quaeritur, Non difficile est respondere, factum id bifariam, et *verbo et opere*. Et ad Patrem quidem quod spectat, non semel inducitur testans de Christo; Joh. v. 37, "Qui misit me Pater, ipse de me testimonium perhibuit," et Joh. viii. 18, "Testimonium perhibet de me qui misit me Pater," quod fecit, Tum *Verbo*, partim immediate, voce coelitus audita non semel, Matth. iii. 17, et xvii. 5, Joh. xii. 28, partim *mediate* per oracula Prophetarum, et V. T. scripta quæ de Christo testabantur, Joh. v. 46, Act. x. 43, et per Joh. Baptistæ testimonium, Joh. i. 6, 7, "Fuit homo missus a Deo, cui nomen Johannes, Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine," &c.; Tum *Opere* per opera illa varia, quæ in gratiam Christi fecit, imo quæ per Christum ipsum et in Christo præstitit, Joh. xiv. 10. "Pater in me manens ipse facit opera;" Cur enim virtutem suam et gloriam Christo dedisset ad patranda tot tantaque miracula, nisi ut divinitatem vocationis ejus confirmaret, et quodam veluti sigillo apposito obsignaret, Joh. vi. 27? Sed magnum et admirabile opus Patris, quo de Christo et ejus Evangelio testatus est, fuit procul dubio missio ejus in mundum quæ nobis luculenter summam ejus erga nos charitatem, et divinam salutis dispensationem exhibuit.

Quomodo Λόγος et testitur.

XVI. Secundus *testis* Λόγος est, qui non semel hoc nomine designatur in V. T. Isa. lv. 4, "En testem nationum constituo eum," et in Novo tum hic, tum Joh. iii. 11, et Apoc. iii. 14, "Testis fidelis et verax, qui in id genitus est et venit in mundum, ut testimonium redderet veritati," ut profitetur coram Pilato, Joh. xviii. 37. Testatus est autem Christus λόγῳ καὶ ἔργῳ dictis et factis; Et dictis primo, quando evangelium suum ex simu æterni Patris nobis attulit, et voluntatis ejus fuit interpres, per quem Pater nos est alloquutus, Joh. i. 18, Heb. i. 2. Hinc ipse testatur, se quod vidit et audivit testari, Joh. iii. 11, 31, et Pater ipsum audiendum esse coelitus denunciat, Matth. xvii. 5, *Hunc audite*. Testatus est secundo *verbo*, quum toties se Dei Filium, Christum Domini, a Patre missum et sanctificatum ad opus redemptionis significat, Lucem mundi, Panem vitæ, Messiam, qui expectabatur, viam, veritatem et vitam, &c., Joh. iii. et iv. et v. et viii. et x. 30, 35, 36, et xiv. 5, 6. Neque hic

opponendum, testimonium hoc Christi esse de se ipso, atque adeo non admittendum, ut ipse fatetur, Joh. v. 31, "Si testor de me ipso, testimonium meum verum non est;" hoc enim non absolute et simpliciter, sed κατὰ τι tantum intelligendum esse, docet locus alter Joh. viii. 14, "Etsi testor de me ipso, testimonium meum verum est," cum quo aperte pugnaret, si præcise et ad literam urgeretur. Itaque ad hominem argumentatur Christus, et per concessionem, juxta mentem eorum cum quibus agebat, qui eum ψιλὸν ἄνθρωπον existimabant, Si testor, inquit, de me ipso, eo quo creditis modo, quasi homo merus, proprio arbitrio, et sine mandato Patris; fateor testimonium meum non fore verum. Sed Joh. viii. loquitur ex rei veritate, dicitque testimonium suum fide dignum esse, quia ipse verax sit, nec a se ipso venerit, sed a Patre qui secum testetur. Hoc vero Christi testimonium de se ipso tantæ fuit evidentiae et certitudinis, ut nulla sophistica eludi potuerit. Nam si Christus non fuisset verus Dei Filius, qualem se profitebatur, omnium qui vixerunt, absit blasphemia, Impostor maximus, et Deo contumeliosissimus fuisset, qui toties ea de Deo, de se, de nobis quæ falsissima sunt assereret. At in confesso est, fatentibus ipsis Judæis, Ethnicis, Mahumetanis, summam vitæ puritatem conjunctam cum constanti animi integritate in eo refulsisse, quæ arcent omnem ejusmodi suspicionem. Si Christi testimonium non fuisset verum et ἀπόστολον, An credibile est Deum, qui gloriæ suæ vindex est acerrimus, tam impudenti mendacio calculum suum appositurum fuisse, et virtutem suam et auctoritatem gloriæ suæ raptori et usurpatori commodaturum fuisse? Annon potius vel per prophetas olim prædixisset, vel prophetis excitatis coarguisset, vel in tantum scelus gravissimo aliquo supplicio animadvertisset; ut olim angelum de affectata Dei æqualitate tam graviter punivit? Cum contra pateat seculorum decursu doctrinam ejus crevisse, et totum terrarum orbem replevisse, ut e fonte prosiliens aqua rivis confluentibus, quæ ad talos pertingebat, ad genua, pectus, et caput ipsum attollitur. Si Jesus non fuisset a Deo, quomodo nomen ejus et dignitas emergere potuisset inter tot reges et principes, qui perdere ipsum enitebantur? Quomodo suffocata non fuisset et extincta ejus doctrina ingenti persecutionum æstu? At fides ut aurum igne excoquitur, et non consumitur, in gravissimarum tentationum formaco eonstituta permansit, et evasit victrix et triumphatrix; Toties cribrata et excocta, tot experimentis probata,

*Ceu duris ilex tonsa bipennibus,
Ab ipso duxit opes animumque ferro.*

Quæ omnia luculenter evincunt, Testimonium Christi, quod per verbum suum nobis reddidit, indubitatum esse et divinum. Huic porro orali testimonio, addi possunt variæ Christi apparitiones, quibus se videndum et audiendum præbuit ad confirmationem evangelii sui, ut quum visus est Stephano Protomartyri, Act. vii., Paulo quum eum convertit, Act. ix. 1 Cor. xv., et Joanni Theologo sæpius in insula Pathmos, Apoc. i. 2.

XVII. Sed Christus non tantum verbo, sed opere potissimum testatus est, "Opera quæ facio testantur de me, quod Pater me miserit," Joh. v. 36, "Si non vultis credere mihi, credite operibus," Joh. x. 37, 38, "Credite quod Ego sum in Patre et Pater in me, sin minus, credite operibus," Joh. xiv. 11. Ut enim sanguis Abelis clamat, Heb. xii. 24, et opera Dei gloriam Creatoris enarrant, Psal. xix. 1, Ita opera divina Christi luculentum illi perhibent testimonium, Imo disertiora sunt quavis concione. Hinc factum ut Christus hoc unum testimonium de se ipso tanquam argumentum certissimum Joannis Baptistæ proposuerit Matth. xi., quum discipulos a Joanne missos, ut inquirerent an esset Messias, an alius quis expectandus esset, cum hoc responso remittit, "Renunciate Joanni quæ videtis, et auditis, cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mun dantur, surdi audiunt, mortui suscitantur et evangelium annunciatum pauperibus." Cum enim prophetica oracula Messiam hisce notis et characteribus, ut ζαυματουργὸν non semel descripsissent, Isa. xxxv. et lxi., Christus non potuit certiori argumento se Messiam esse comprobare, quam talia opera præstando, quæ in ipso compleri oracula illa, demonstrabant clarissime. Nam qui tot, tantaque miracula præstat, Ille vel potentia summa præditus est supra naturam omnem, vel potentia divina utitur libere : Qui αὐτόθεος est opere, Idem debet esse αὐτόπιστος verbo. Qui facit quicquid vult, Idem quicquid dicit, verum esse reipsa et actu probat; nec enim summam potentiam, mendacium docet. Cum ergo Christus tot taliaque miracula præstiterit suo nomine et autoritate, Deusque suam operam et virtutem ad eorum productionem impenderit, quis dubitandi locus superesse potest? Quid enim cum aliqua veri specie opponi posset; An mirabilia fuisse, non vera miracula? Sed quid verum miraculum, nisi quod totius naturæ creatæ vires superat, ut cæco nato visum, et mortuo vitam restituere, et omne genus morborum sanare? An præstigias fuisse? Sed cur non detegebant Judæi præstigiatores? Cur tot exorcistæ, qui eo tempore vivebant, fraudem non ostendebant? Præstigiatores ergo et discipuli, qui eo mortuo per gunt ejus nomine, sed quo fine, et cui bono? ut morti tradantur, ut ipsi, fame, laqueo, gladio, et cruce pereant. At præstigiatores pecuniam, gloriolam, et famam spectant, nihil verum efficiunt, sed oculis fucum faciunt; An tale quid in Christo vel Apostolis visum ? An virtute magica hæc omnia peracta esse? Sed cur legis mucronem in eum non exerebant? Cur in ejus accusatione de hoc crimine silent? Cur non deglutiuntur a virga Mosaica, sed supersunt hæc adhuc hodie ac vigent? Deinde, an tam insanus vetus ille draco, ut suum laniet pectus, ipse volens et lubens, et imperium destruat, Matth. xii ? An Diabolus et pietatis et sanctitatis magister, An fiduciam in Deum, et obedientiam commendat? Totus Christus in eo est, ut fides, spes et amor in Deum recumberet, et regnum ejus stabiliretur. Hoccine vero Dæmon quærere potuit et suadere? Denique Quodnam hoc magiæ genus, quod fugit latebras et in apertum prodire gestit, nil secretum nisi hominum conscientias petens, quas convincit et adigit ad confessionem, nedum ut fugiat; et κρυπτὰ της ἀίσχύνης quærat.

XVIII. Inter omnia autem Christi opera, quibus sibi testimonium perhibuit, nullum illustrius et luculentius occurrit ipsa Christi *Resurrectione*, quæ invictum fuit et divinitatis ejus, et mediationis argumentum, per quam et Filius Dei agnitus est ab hostibus, Matth. xxvii., et creditus a fidelibus, et approbatus a Deo, hostes potentiam senserunt victricem, fideles veritatem promissionum experti sunt, et Deus justitiæ ac satisfactionis perfectio nem declaravit. Nisi enim a Deo missus fuisset Christus, nisi vere fuisset Dei Filius, qualem se profitebatur, sed impostor et usurpator, quo tandem pacto Deus in eo suscitando potentiam suam adeo gloriose exeruisset? An credibile est Deum passurum fuisse, ut fides ejus resurrectionis late extenderetur, et tot tamque admirabiles in mundo convertendo effectus ederet? Hinc Paulus, Rom. i. 4, dicit eum, qui ex semine Davidis fuit secundum carnem, ὁρισθέντα declaratum fuisse solenni veluti decreto, "Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem a mortuis," et alibi, 1 Tim. iii. 16, *Justificatum Spiritu* adversus omnes calumnias adversariorum per gloriosam Resurrectionem, quæ per Spiritum eundem æternum, per quem se obtulerat, Heb. ix. 14, id est, divinitatem contigit. Et Christus non aliud signum illustrius, et argumentum certius divinitatis, et vocationis suæ coelestis affert, quam resurrectionem, *Solvite templum hoc*, inquit, Joh. ii. 19. Judæis quærentibus, quodnam signum faceret, ut crederent, et *tertio die erigam ipsum*, et Matth. xii. 39, "Natio ista adultera signum quærit, sed signum aliud non dabitur ipsi, nisi signum Jonæ," &c., quia nisi Christo resurgenti eredidissent, nullum aliud argumentum fuit, quod ad fidem potuit eos compellere.

Spiritus quomodo testator?

XIX. Testimonium Λόγον excipit testimonium *Spiritus*, qui hic etiam bifariam, et *verbis*, et verbis, et factis de Christo testatus est. Sic enim Christus ipse hoc innuit, Joh. xv. 26, "Cum venerit Paracletus, testabitur de me," et, c. xvi. 13, "Non loquetur a semet ipso, sed quæcunque audierit, loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit, Ille me glorificabit," &c. Hinc Paulus, Rom. viii. 16, dicit, "Spiritus συμμαρτυρεῖν, cum Spiritu nostro, Quod simus filii Dei." Testatus est autem, non modo mediate per Apostolorum præconium, qui a Spiritu Sancto acti, ut et cæteri viri Dei loquuti sunt: Sed et immediate per *visibilem sui super Apostolos effusionem*: Quum enim in solenni Pentecostes die, specie visibili, mirabili ratione in Apostolos descendit, tunc publicum innocentiae, veritati, et exaltationi Christi testimonium est perhibitum: *Innocentiæ*, quia patuit injuste condemnatum esse eum, in cujus nomine Pater coeleste hoc donum effundebat; *Veritati*, quia sic Christus implendo promissiones sæpius datas de Spiritus missione, veracem se esse facto ipso demonstravit, et toti doctrinæ suæ divinam auctoritatem conciliavit; *Exaltationi*, quia nisi Christus post passiones et mortem resurrexisset, et ad dextram Dei exaltatus fuisset, non potuisset Spiritum mittere, "Nisi abivero, Paracletus non veniet, sed si abivero mittam illum vobis," Joh. xvi. 7; unde Petrus Spiritus missionem, tanquam effectum exaltationis notat, Act. ii. 33.

Secundo testatus est per *efficacem Apostolorum immutationem*, Quum enim adeo potenter mentes, et corda ipsorum affecit, ut qui prius rudes erant et idiotæ, plena mysteriorum coelestium notitia essent instructi, qui timidi et meticulosi ad minimam ancillæ vocem trepidabant, animosi et imperterriti coram Regibus et Principibus sint redditi, qui elingues, disertissimi, qui nihil nisi terre num sapiebant, jam magnalia Dei loquantur; Quis non agnoscat luculentum Christo, a quo mittebatur, perhibitum fuisse a Spiritu testimonium?

XX. Tertio testatus est per *miraculorum in Apostolis et per Apostolos patratiōnem*; Nam dum ad vocem Apostolorum videbantur dæmones e corporibus egredi, ægri sanari, cæci illuminari, mortui suscitari; Quando ad eorum præconium idola ceciderunt, oracula obmutuerunt, eloquentia oratorum, subtilitas philosophorum, majestas regum et principum dejecta fuit et confusa, quis præsentissimum Dei digitum hic non animadvertat? Quo spectant verba Pauli, Heb. ii. 3, 4, dum ait, “Deum testimonium perhibuisse verbo suo, signis et prodigiis, et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus.” Quarto denique testatur per *piorum conversionem, et impiorum convictionem*; Nam ut pios intus persuadet de salute per Christum acquisita; Ita impios convincit de veritate evangelii quod oppugnant, et de divinitate Christi, quem in membris suis persequuntur, ut volentes nolentes Christo cedere cogantur, et sic in conscientiis reddantur ἀναπολόγητοι: Quo pertinet illustris locus, Joh. xvi. 8, 9, ubi de testimonio Spiritus loquens ait, “Spiritus ἐλέγξει arguet mundum peccati, justitiæ, et judicii,” id est, clarissime demonstrabit fidelibus, quo sensu fides dicitur ἔλεγχος, Heb. xi. 1, et potenter convincet impios de hisce tribus. Tria autem ista sunt, in quibus præcipue versatur Spiritus Testimonium, tum erga Pios utillos convincendo persuadeat tum, erga Impios, utillos convincendo damnet: *Peccatum, Justitia, et Judicium*; *Peccatum* admissum, *Justitia* amplectenda, *Judicium* fugiendum; *Peccatum mundi*, cujus omnes sunt rei, *Justitia Christi*, qua omnes sunt destituti, *Judicium Dei*, quod omnibus certissime imminet, cujus et exemplum in Diabolo habent. Peccati gravitatem ostendit in incredulitate; Justitiæ plenitudinem et certitudinem in Christi ascensione, qui justitiam, seculorum adduxit; Judicii veritatem et infallibilitatem in poena Diaboli, qui morte Christi vinci et confundi debuit, Col. ii, 15, Heb. ii. 14.

Unitas Testium qualis.

XXI. Sic exposito testium istorum testiūonio, Jam *Unitas* est expendenda; καὶ οἱ τρεῖς ἓν εἰσὶν inquit Joannes, *hi tres unum sunt*. Nam quia de pluribus agit, ut eorum pondus et authoritas major sit, consensum eorum innuit, et ut consensum perfectum doceat, ad unitatem essentiæ ascendit, quæ unitatis voluntatis sit fundam atum. Reclamat hic *Socinus*, qui ut eludat vim argumenti, quod hinc petimus pro ὁμοουσιᾷ personarum, pertendit hanc unitatem referendam esse ad *unitatem tantum consensus* et testimonii, et

hoc evincere satagit, tum ex scopo Joannis, qui est unitatem testimonii probare, tum ex variis scripturæ locis parallelis, in quibus eadem vox non alio sensu sumi potest, tum ex nonnullorum Orthodoxorum sententia, qui unitatem consensus hic respiciendam esse censent. Nos vero, non negamus quidem Apostolum unitatem eonsensus et testimonii attendere, sed quod agat tantum de ea, exclusa unitate essentiæ, pernegamus. Imo contendimus unitatem essentiæ hic statui, tanquam fundamentum unitatis voluntatis. Rationes quibus adducimur ad hoc credendum sunt gravissimæ: 1. loquendi modus, qui usurpatur a Joanne in describenda testium Coelestium et terrestrium unitate; Nam de terrestribus quidem dicit esse εἰς τὸ ἕν, esse *in unum*, vel *ad unum*; sed de coelestibus dicit simpliciter *esse unum*, τὸ ἕν εἰς. Jam vero si eadem utrobique unitas intelligenda esset, nimirum unitas consensus, quænam posset esse diversæ locutionis ratio, quare non praevertit gravissimum, quod ex isto sermone fidelibus imminebat, periculum, ne in errorem inducerentur, unitatem essentiæ in testibus istis fingendo, quæ nulla tamen erat? quare non dicit de utrisque, vel τὸ ἕν, vel εἰς τὸ ἕν εἰς? Sane nulla potest discriminis istius ratio genuina afferri, nisi unitatis diversitatem aliquam agnoscamus, ut testes quidem terrestres unitatem consensus habere dicantur, quia in unum conspirant. Sed testes coelestes præter unitatem testimonii, etiam unitatem essentiæ. Nec opponi debet ab hæretico Editio Complutensis, quæ de testibus coelestibus dicit esse εἰς τὸ ἕν: Nam unius Codicis autoritas non potest abrogare fidem reliquorum omnium probatissimorum, quos Rob. Stephanus, et alii magna cura collegerunt, qui constanter lectionem nostram retinent.

XXII. Secundo, scopus Apostoli hoc evincit. Nam ut ipsi propositum est deingnstrare indubitata fidem evangelii ex unitate testium, qui illi testimonium perhibent: Ita non potuit certius istam unitatem et identitatem consensus probare, quam ex unitate et identitate essentiæ: Nam ubi est perfecta ὁμοβουλία, ibi debet etiam esse perfecta ὁμοουσία. Tertio hoc ipsum docet *testium istorum appellatio*. Cum enim vocentur testes in cælo, non modo voluit Joannes indicare, eos coelestes esse, et coelitus testimonium Christo perhibere; alias non tres tantum, sed longe plures possent dici, siquidem et Angeli hac ratione Testes in coelo etiam possent vocari; Sed et *natura divinos*, quomodo coelum in Scriptura saepe pro Deo usurpatur, unde v. 9, vocat hoc testimonium Dei, quod opponit testimonio hominum. Jam si tres isti testes sunt divini, debeiit esse unum essentiæ unitate, quia unus tantum est numero Deus, et nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus. Confirmatur *Quarto* id ipsum *ex Testium istorum conjunctione*: Nam qui testes simul conjunguntur, et eodem modo unum dicuntur, eorum etiam in unitate similis est ratio. At Pater, Verbum et Spiritus conjunguntur, et eodem modo unum dicuntur, Ergo eorum in unitate similis debet esse ratio: Jam Pater et Spiritus Sanctus ex mente Adversariorum unum sunt, non tantum consensu, sed et essentia. Ergo Pater et Verbum cum Spiritu erunt unum essentialiter. Quinto, Eadem unitas debet intelligi, quam Christus alibi sibi et Patri tribuit, Joh. x. 30, "Ego et Pater unum sumus," At non est unitas

tantum consensus, sed etiam unitas essentiæ: 1. Quia Judæi hoc ita intelligunt, quando eum blasphemiæ propterea arcessunt, eo quod, homo cum esset, se faceret Deum ver. 33. 2. Christus hoc non negat, sed confirmat ex identitate operum suorum et Patris, ver. 37, “Si non facio opera Patris mei, non credite mihi, sed si facio credite operibus; ut cognoscatis et credatis Patrem esse in me, et me in Patre.” At si falso hoc impingitur ipsi a Judæis; Cur vanitatem criminationis non repellit, ostendendo eos perperam mentem suam interpretari, cum non de unitate essentiæ, prout illi arbitrabantur, sed de unitate tantum voluntatis et consensus loquutus esset? Cum E. nihil tale præstet, Imo confirmet ulterius quod dixerat, patet hanc revera ejus mentem fuisse, quæ a Judæis illi adscribitur.

XXIII. Non dissimulandum tamen varia hic excipere Hæreticos ad vim istius argumenti eludendam. Primo non posse magis unitatem essentiæ colligi, quando tres testes unum esse dicuntur, quam quum “Paulus et Apollos dicuntur esse unum,” 1 Cor. iii. 8, quum Christus orat, Joh. xvii. 21, ut “Credentes unum sint, sicut Pater in ipso, et ipse in Patre, ut et ipsi in illis unum sint,” quod ad unitatem essentiæ referendum esse nemo dixerit, vel quum Paulus, 1 Cor. vi. 17, “eum qui adhæret Domino, unum Spiritum esse” dicit. Resp. Sed quis non videt, hic hæreticos pro more peccare fallacia parium, et longe dissimilia conferre? Quamvis enim eadem verba usurpentur, non sequitur tamen statim eodem sensu sumenda esse; verba enim debent intelligi pro subjecta materia. Paulus et Apollos bene unum dicuntur, tum resp. officii, quia idem munus sustinent, tum resp. infirmitatis, quia nihil sunt per se, et nihil possunt absque Christo; sed patet non posse dici unum natura, quia distinctæ sunt personæ, quæ distinctam numero essentiam habent. At in divinis aliter se res habet, ubi distinctæ Personæ eandem numero essentiam participant, et hoc ideo fit, quod cum in humanis tres personæ faciant tres homines, quia persona quælibet humana habet peculiarem essentiam ab aliis numero distinctam; in divinis tamen tres personæ non faciunt tres Deos, quia personarum divinarum unica est et individua essentia. 2. Eadem ratione solvitur locus alter ex Joh. xvii. 21 petitus, quia male argumentum ducitur “ab unitate spirituali et mystica,” quæ in communion Spiritus consistit, ad “unitatem ineffabilem” personarum Trinitatis. Nec particula καθὼς hoc potest evincere, notum enim eam non semper æqualitatem, vel identitatem, sed sæpissime aliqualem tantum similitudinem indicare, ut quum jubet nos Deus “ut simus sancti sicut ipse sanctus est,” Lev. xi. 44, et Christus “ut simus perfecti et miseri cordes, sicut Pater coelestis est perfectus et misericors,” Matth. v. 48, et Luc. vi. 36, et Paulus “ut ambulemus in charitate sicut Christus nos dilexit,” Eph. v. 2, clarum est hic aliquam tantum analogiam connotari, non plenam et absolutam æqualitatem. 3. Quod additur ex 1 Cor. vi. 17, non magis urget: Nam Paulus non dicit fideles esse unum cum Deo, sed esse unum Spiritum, id est, esse unum Spiritu, quia unum eundemque Spiritum participant, qui a Capite diffunditur in omnia membra, idemque in membris operatur, quod operatus est in Capite, puta vitam, lucem, sanctitatem, gaudium, et gloriam.

XXIV. Addunt hæretici, doctores nostros primarios, Calvinum, Bezam non aliter exposuisse, quam de unitate consensus, Perperam ergo nos alio velle referre. Resp. 1. Licet Calvinus et Beza ita locum istum exposuissent, non teneremur in eorum verba jurare, quia fides nostra non hominibus, sed Deo solo ejusque Verbo nititur. 2. Si verba ipsorum expendimus, facile patebit eos non absolute et simpliciter negasse agi de unitate essentiæ, sed tantum comparate, ut potius consensus imnuatur, quam essentia, sic enim Calvinus ad hunc locum, "Quod dicit Tres esse unum, ad essentiam non refertur, sed ad consensum potius, ac si diceret Patrem, et æternum ejus Sermonem, ac Spiritum Sanctum symphonia quadam Christum pariter approbare," &c. Quis non agnoscit eum non disjuncte simpliciter, sed comparate loqui, et hanc ejus esse mentem, Patrem, Verbum et Spiritum esse quidem unum essentia, trinum personis Deum, unde paulo ante dixerat, *fidem in una Deitatis essentia tres Personas agnoscere*, sed hic produci proprie et primario non ut testem unum essentia, sed ut testes tres personis distinctos, unum tamen idemque testificantes de Christo? ut habet glossa interlinearis, *Hi tres unum sunt, id est unus Deus de eadem re testantes*. Nec si addit utrosque testes unum dici eodem sensu, hoc intelligit absolute et simpliciter; sed relate ad institutum Joannis quod est harmoniam testium coelestium et terrenorum de Messia exhibito ostendere. Unde patet quam præpostere et mala fide, summus ille vir Dei traducatur a nonnullis, quasi Arianis favens: Nam licet humani aliquid esset passus, nec satis assecutus esset mentem Spiritus Sancti in uno vel altero loco, non ideo sequitur eum tanti mysterii fidem, quod alibi solidissime et tot invictis argumentis, et in hoc ipso loco confirmat, subruere voluisse. Non alia mens Bezæ, qui ita unitatem consensus asseri vult a Joanne, ut unitatem essentiæ non neget, sed supponat potius, "Unum sunt," inquit, "id est prorsus consentiunt, ac si unus testis essent, et revera unum sunt, si οὐσίαν, spectes, sed de ea, ut mihi quidem videtur, non agitur hoc loco:" Quid hic est, quod hæreticis faveat, quid non potius eorum pestilentissimum errorem jugulat?

XXV. Ex his ita discussis sponte fluunt varia, quæ ex hoc oraculo ad augusti mysterii, de quo agimus, confirmationem pertinent argumenta. Hinc enim 1. Patet *Trinitatis* vocem non esse plane ἀγραθον, prout veteres Antitrinitarii et recentiores clamitant, licet enim αὐτολεξεῖν vel in abstracto non legatur, extare tamen in concreto, et æquivalenter, locus hic noster clarissime evincit. Quid enim est Trinitas, quam Trium istorum unitas? 2. *Personarum Trinitas* luculenter colligitur, Cum enim nec plures nec pauciores in coelo testes, quam tres Apostolus nume ret, qui non tantum consensu et voluntate, sed etiam matura sint unum, tot etiam et non plures personas divinas necesse est esse. Unde impurissimi et pestilentissimi Serveti blasphemia retunditur, qui unam tantum personam vult esse, quæ tribus nominibus designetur, et propter diversos testificandi modos tres testes dicatur. Quis enim de uno eodemque homine, qui de aliqua re testificatur, et suum testimonium scripto et sigillis confirmat, bene diceret tres esse testes,

propter triplicem testificandi modum? Ergo præter Patrem, duo alii in cælo testes statuendi sunt, tanquam distinctæ personæ, quæ pro parte sua testificentur. Neque hic reponendum, testis officium statim personalitatem non dicere, cum statuatur tres in terra testes, qui tamen non distinguuntur personaliter: Nam licet ex testimonio testium terrestrium personalis eorum subsistentia inferri nequeat, sed realis tantum distinctio; Non sequitur pariter se rem habere, quam de testibus coelestibus mentio sit; quia hic vox ista non improprie, sed proprie accipienda est, quo pacto personæ tantum competit. Nam quomodo accipitur nomen testis, quando Patri et Filio adscribitur, eodem etiam modo debet accipi, quando tribus in coelo testibus hic vindicatur. At Patri et Filio tribui proprie non negant adversarii, et clarissimum est ex Joh. v. 32, et viii. 16. Ergo etiam proprie accipitur, quando tribus in coelo testibus tribuitur: Quod confirmari posset, tum ex baptismo Christi, tum ex baptismo nostro, ubi trium distinctarum personarum, in quarum nomine baptismus administratur, mentio injicitur, si id nunc ageremus.

XXVI. Ut vero personarum Trinitas ex hoc loco elicitur evidenter, Ita non minus clare confirmatur *illarum Personarum* ὁμοουσία, cum non tantum testes coelestes vocentur, qui testimonium Dei nobis perhibent, Sed *unum* esse dicantur, quod non ad unitatem consensus et voluntatis, sed essentiæ et naturæ pertinere supra demonstravimus: Nec mysterio caret, quod *Unum* dicantur, non *Unus*, istud enim personam notaret, illud vero Naturam; nam in Trinitate est quidem ἄλλος καὶ ἄλλος, sed non ἄλλο καὶ ἄλλο, alia Persona, non vero alia Natura: Ut ex opposito in Incarnatione est ἄλλο καὶ ἄλλο, sed non ἄλλος καὶ ἄλλος, quia duæ sunt naturæ, sed una persona. Hinc Grego. Nazianz. homilia de baptismo unitatem istam Trinitatis, et Trinitatem unitatis apposite designabat admirabundus, οὐ φθάνοι τὸ ἔν νοῆσαι, καὶ τρισὶν περιλάμπομαι, φθάνω τὰ διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἔν ἀναφέρομαι.

XXVII. Quarto *Spiritus Sancti personalitas* invicte probatur, quia duobus in coelo testibus, Patri et Verbo, tanquam tertius testis adjungitur: ut ergo Pater et Verbum Personæ sunt distinctæ, quæ testimonium personale Christo perhibent, Ita necesse est Spiritum, qui in eodem ordine locatur, quoque personam esse non rem tantum quæ testimonium reale reddat. Huc accedit, quod cum per Spiritum hic, nec donum Spiritus possit intelligi, quod pertinet ad classem testium terrestrium, nec virtus et potentia Patris, quia sic non posset ab eo tanquam tertius testis distinguui; cum essentiæ et virtutis sit una eademque testificatio; necessario tertia quædam Persona a Patre et Verbo distincta, et cum iisdem testans intelligenda veniat, cui non possent tot actiones personales *testandi, consolandi, mittendi, scrutandi, &c.* tribui, nisi vera et proprie dicta esset Persona.

XXVIII. Denique *necessitas fidei* istius mysterii ad salutem non obscure evincitur. Cum enim tres istæ personæ testantes inducantur de Christo; nemo potest in Christum credere, qui earum testimonium non recipiat,

atque adeo eas non confiteatur. Et sane cum fides Deum, qualem se in verbo nobis patefecit, colere teneatur; Nec Patrem habere possit, qui Filium negat 1 Joh. ii. 23, Nemo non videt Articulum hunc vere fundamentalem esse, quem licet "scrutari" sit "temeritatis, credere" tamen "pietatis est, et nosse vita æterna," ut scite olim Bernardus. Unde quamvis longe clarius sub Novo Testamento mysterium hoc patefactum sit; in Veteri tamen non ignotum fuisse, sed sufficienter ad piorum solatium revelatum, dubitare non licet. Quid superest ergo, nisi ut tanti mysterii fidem constanter semper retineamus, et cum tres istæ personæ irrefragabile perhibeant Christo testimonium; Caveamus ne illud incredulitate nostra unquam respuamus: Imo plena fidei πληροφορία in illo acquiescentes, credamus Jesum esse Christum Filium Dei, ut credentes vitam habeamus in nomine ejus, Joh. xx. 31. Amen.